

notant Clavis regia lib. 10. tract. 3. cap. 1. & Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 17. Nec ullum est inconveniens, quod Petrus ita sit ditior, quam si res suas semper habuisset: sicut enim si alicui subreptus fuisset equus tempore, quo volebat eum vendere pretio vilis, ei que restitueretur tempore quo longe plus valet; occasione furti fiet ditior, quia lucraretur augmentum pretii; ita &c. Dixi *retento sibi pretio expensarum &c.* quia licet possessori malae fidei, in foro externo denegentur in pœnam tam expensarum necessariae, quam utiles; tamen in foro conscientiae deducendae sunt primae, quia has Dominus facturus erat; & secundae, quia non decet, ut Dominus reiditior evadat expensis alterius; & utraque cedunt in Domini utilitatem: Ita DD. comm.

CAS. III. Sergium, solitum male agere, facile posset Cajus corrigere; at quia dubitat suam correctionem minime profuturam, illam omittit. Q. an istud dubium eximat Cajum à correctionis obligatione?

Resp. cum dist. Vel simul cum dubio, quod correctio non sit profutura, concurret etiam dubium, quod sit obfuturam, & in hoc casu dico, tale dubium eximere Cajum à correctionis obligatione. Vel simul cum illo dubio non concurret hoc aliud dubium; & tunc dico, Cajum non eximi à tali obligatione. Ratio pr. part. est, quia correctio præcipitur in bonum proximi, nempe ut hic respiscat, & se emendet: præcipitur in illius salutem, non in ejus ruinam. Proinde si Cajus rationabiliter dubitat, quod Sergium corrigendo, correctio sit illi potius obfuturam, puta, quia in blasphemias erumpet, vel aliquod aliud malum de novo committet; in tali casu nedum eximitur à correctionis obligatione, verum etiam positive tenetur, ut evitet majus malum, illum non corrigere, ni forte hic sit in certo peccato mortali, & in proximo mortis periculo; quo in casu, non obstantè illo dubio, adhuc teneretur ipsum corrigere, eo quia nocuum est correctionis esset dubium; certa vero illius aeterna damnatio, si moreretur in eo statu. Ratio sec. part. est, quia in tali casu ablata non est omnis spes, quod Sergius, per correctionem excitatus, respiscat. Propterea cum ad obligationem correctionis necessaria non sit spes certae emendationis (nam secus actum esset de Correctionis præcepto, cum semper incertum sit, an voluntatem sit peccator in melius mutaturus, ut ait D. August. 1. de Civ. Dei cap. 9.) ideo dicendum, quod in isto casu tale dubium non eximat Cajum ab obligatione correctionis: sicuti non obtenta ab infirmo sanitate per propria, ac magis opportuna remedia, tenetur Medicus illi ordinare medicinam, quam certus est non obfuturam, spemque habet, etsi sub dubio profuturam. Ita cum D. Thoma. Palus tract. 6. disp. 3. punct. 5. caeterisque comm.

M E N S E J U L I I.

CAS. I. Sempronius vendit domum Francisco, habita ei fide de pretio; cum pacto tamen, ut toto tempore, quo pretium non solverit, det ad rationem quinque pro singulo centenario. Q. an sub hoc Contractu lateat usura?

Resp. non latere, si Franciscum obligat ad illa quinque: quia ob pretium non

non solum in totidem patitur interesse; vel quia ei cedit etiam jus ad totidem fructus locationis domus: latere vero, si eum obligat ad illa quinque ob puram dilationem solutionis, vel absque eo quod ei totidem cedat; ac in totidem interesse partiatur. Ratio primi est, quia ex una parte etiam in mutuo licitum est deducere in pactum proprium interesse, ut quis servet se indemnem, prout cum D. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. firmavimus ad 3. Aprilis 1751. adeoque sine usura idem facere poterit Sempronius in casu; maxime cum id ipsi concedatur in jure in leg. *Curabit de Act. empr. & vend.* Ex alia parte; non esset usurarius Sempronius, si in casu iniiret hoc pactum, quod Franciscus interim habeat solum dominium directum supra domum, sibi vero adhuc competat jus exigendi pretium locationis, ut probat de Lugo disp. 25. sect. 8. num. 140. & seq. ergo neque dici potest usurarius per hoc, quod ineat pactum ut toto tempore &c. Et ratio fundamentalis est, quia non tenetur venditor ante solutionem pretii rem tradere cum suo incommodo, ac pari damnum in fructu pro emptore; ideoque si tradat, potest ad ratam prætere, & tantumdem in pactum deducere. Ratio postea secundi est, quia obligare Franciscum, ut det illa quinque pro centenario ob puram dilationem solutionis, est vendere tempus, ac tale emolumentum percipere ratione ipsius mutui immediate; quod aperte illicitum est. Unde Alex. VII. damnavit hanc propositionem 42. *Licitum est mutuanti aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Idem dicendum (nempe illicitum esse pactum de illis quinque, pro cessione juris exigendi pretium locationis, aut pro interesse, quod patitur Sempronius) si neque pretium locationis, neque interesse Sempronii ad tantum pertingat; tunc enim excessus percipitur ob ipsam dilationem solutionis, vel ob mutuum virtuale; quod plane illicitum est, ut tradunt DD. communiter.

CAS. II. Proculus, injuriis affectus ab Eusebio, instat pertinaciter apud Judicem pro illius punitione, quamvis sit ille paratus debitam ipsi dare satisfactionem, & ab ipso veniam petere. Q. an casu, quo sic accedat ad Confessarium, debeat hic illum absolvere?

Respondeo cum distinct. Vel Proculus id facit ex odio, vindicta, aut indignatione erga Eusebium; aut (etiam his exclusis) cum scandalo; & tunc, ut de se patet, non debet Confessarius illum absolvere, cum sit indispositus, & scandalis sit obviandum. Vel id facit præcise ut sibi juridice debita compensatio fiat, & justitia locum habeat; & tunc dico, Confessarium debere illum absolvere. Ratio in primis desumitur ex Glossa in cap. *Si quis contristatus*, dist. 90. ubi aperte habetur, quod non tenetur læsus actionem injuriarum remittere, nec ad eam remittendam ullum esse cogendum. Deinde non est alicui absolutio neganda per hoc, quod jus suum prosequatur. Sed Proculus in casu jus suum prosequitur, statim, ac id facit ut juridice sibi compensatio fiat, & locum habeat justitia (lex enim obligat quidem ad se reconciliandum cum offensore, quinimo ad illi exhibenda peculiaris signa dilectionis semel ac veniam petit &c. ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 8. in corp. at non obligat ad acceptandam determinate hanc potius quam illam satisfactionem); ergo in casu à Confessario non est Proculo ne-

ganda absolutio. Toletus in sum. lib. 4. cap. 10. Navarrus in man. cap. 14. num. 25. & Cons. lib. 5. de accusat. tom. 2. cons. 1. ubi addit, quemdam Ordinarium à S. Congregatione fuisse reprehensum, eo quia cuidam mulieri tollenti dare pacem in scriptis occisoribus filii, ac asserenti se odio non prosequi tales homicidas, mandaverat denegari Sacramenta Confessionis, & Communionis; immo Proculum in casu esse absolvendum; decimum refert à Sacra Congregatione Zerula in Praxi Sacr. Pœnit. cap. 21. quæst. 12.

**CAS. III.** Mercator vendit Bernardo merces suas credita pecunia, sed plus pretio justo, & rigoroso, eo quia interdum ille non solvit, & plerumque cum maximo incommodo Creditorum, non nisi post longum tempus, aut per partes. Q. an hæc venditio in foro conscientiæ sit licita.

Respondeo cum distinctione. Vel illud plus, quo in casu merces mercator vendit, excedit meritum periculi, cui subest, vel non. Si non, dico talem venditionem in foro conscientiæ licitam esse, dummodo servet conditiones infra ponendas. Ratio est, quia periculum amittendi pretium mercium, aut hoc non habendi, nisi cum maximo incommodo, &c. in communi prudentum judicio est quid pretio æstimabile, & quidem tanti, quantum licite prætenderet fidejussor pro fidejussione. Ergo potest Mercator quid plus huic proportionatum prætere ob istud periculum, quod in se suscipit: sicut enim hujusmodi credita ob idem periculum licite emuntur minori pretio; ita & majori pretio licite contrahuntur. Bartholomæus à S. Faust. de Usur. quæst. 49. Neque dicas cum Soto, & aliis, sic vendentem, voluntarie, ac propria sponte semetipsum inducere in tale periculum; ideoque si exinde illi provenit aliqua molestia, vel incommodum, sibi imerit debet illud adscribere; & sic nihil pro eo debet accipere. Contra enim: statim, ac periculi susceptio est pretio æstimabilis; parum refert, quod volens vel invitatus illud suscipiat: nam eo ipso, quod plus non vendit, quam cum proportionem ad periculi æstimabilitatem, utitur jure suo. Molina de Contr. disp. 316. aliique passim. Si postea illud plus, quo merces mercator vendit, excedat meritum periculi, cui subest, dico hujusmodi venditionem in foro conscientiæ esse illicitam; non enim alia ratione sumit in casu talem excessum, nisi quia vendit pecunia credita: quod ut illicitum damnatum est ab Innocentio XI. per proscriptionem hujus 41. propositionis: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor ultra sortem à mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Conditiones deinde à mercatore servandæ, ut in primo casu licita sit ejus venditio, sunt: Primo, quod non plus sumat, quam mereatur periculum, cui subest, prout dictum est, & quod tale periculum sit verum, & non fictum, quidquid postea sit, quod eventus declarat nullum fuisse incommodum; non enim pro ipso incommodo futuro, sed pro periculi incommodi de illo plus pactus est. Secundo, quod de tali plus moneat emptorem, antequam vendat, & cum eo de hoc ineat pactum; debet enim emptor voluntarie istud onus assumere; nam fieri potest, quod reperiat alium venditorem sine isto gravamine. Tertio, quod venditor non obliget ex hoc titulo emptorem ad hoc plus, si hic det ei idoneam

neam fidejussionem, aut pignus. Quarto denique, quod non obliget emptorem ad ineundum cum ipso contractum assecurationis, sed hic liber maneat, vel ad dandum pignus, vel ad dandum fidejussorem, vel ad exhibendum hoc plus, prout ipsi libuerit. Vide Barthol. à S. Faust. l. c.

**M. E. N. S. E. A. U. G. U. S. T. I.**

**CAS. I.** Mutuarius dedit Antonio, occasione mutui 1000. aureorum ab ipso acceptorum; quasdam corbas tritici, aliasque ipsi promissit. Interim moritur mutuarius, & Antonius incipit dubitare de illius intentione, scilicet, an dederit, & promiserit corbas tamquam pretium mutationis, an vero ex gratitudine; propterea. Q. an licite retinere possit acceptas, & ab hæredibus exigere premissas.

Respondeo, posse, si mutuarius sponte dedit, ac promissit, si erat vir liberalis, nobilis, gratus, & aliunde dives, nec in dando ullam, vel minimam tristitiam, seu molestiam ostendit; non posse vero, si dedit ægre, aut cum murmure, eratque vir tenax, lucris deditus, pecuniarum avidus, & avarus: in primo enim casu forum externum præsumit, ipsum ex liberalitate, benevolentia, & gratitudine dictas corbas donasse, ac promississe; sicque Antonius potest licite retinere acceptas, & ab ejus hæredibus exigere premissas, tamquam debitas non ex vi mutationis, aut ex gratitudine, seu liberalitate (circa quod adest propositio 42. damnata ab Innocentio XI.) sed ratione promissionis, si hæc ab ipso fuit acceptata. In secundo autem casu præsumitur eum dedisse, ac promississe ratione mutui, vel ex apprehensa incussione injusti timoris, quod si id non fecisset, alia vice Antonius ipsi non mutuasset; propterea licite nec retinere potest acceptas, nec exigere premissas; utpote datas, vel promissas involuntarie: in dubio namque recurrendum est ad conjecturas, & præsumptiones; cum non occurrat melior curatio, & via ad recte judicandum in re dubia. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 37. num. 12. & tunc judicandum est pro illa parte, pro qua est præsumptio fori externi; judicium namque internum & externum diversa non sunt, ni per hoc, quod externum ducitur præsumptione, internum autem veritatem noscit. Sotus de Just. lib. 7. quæst. 3. art. 2. concl. 3. quod si recte discerni non possit qualitas mutuarii, sed adhuc ex utraque parte remaneat æquale dubium, dico in tali casu, Antonium non teneri restituere acceptas, & hæredes mutuarii non teneri dare premissas; eo quia in pari causa melior est conditio possidentis. Hinc cum Antonius sit in possessione acceptarum, & hæredes mutuarii sint in possessione promissarum, primus potest acceptas retinere; & hi premissas non solvere, ut inter alios notat Rebellius 2. part. de Oblig. lib. 8. de Usur. quæst. 16. sect. 5. num. 26.

**CAS. III.** Agricola mutuat vitali 500. aureos, ad sex menses, ob hoc præcipue, quia sperat Vitalem, utpote liberalem, donaturum ultra sortem 20. vel 30. aureos. Q. an mutuando cum tali intentione peccet?

**CAS. II.** Q. Secundo, an si Vitalis ei dabit intentos aureos, possit Agricola eos tuta conscientia retinere?

Respondeo ad 1. neg. Si nullum præcessit pactum, ne quidem implicitum, quod Vitalis postea dare debeat aliquid ultra sortem. Ratio est, quia ista spes, & intentio Agricolæ, secluso omni pacto, non imponit Vitali ullum gravamen, aut aliquam obligationem; nec impedit, quod, si hic Agricolæ donet aliquid, in casu id donet propria sponte, aut ex mera sua liberalitate, ut recte tradit Viva ad præcitatam propositionem 42. ab Innocentio XI. damnatam. Propterea si sperat 20. vel 30. aureos ex liberalitate Vitalis, cum eos speret ex mera gratia, & ut liberale donum ejusdem, non est per hoc peccari usuræ incusandus, etsi ei mutuet 500. aureos cum hac spe, & intentione. Nec obstat illud dictum Christi Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*; neque id, quod definivit Urbanus Papa in cap. *Consuluit* de Usuris, scilicet, ad restitutionem teneri eum, qui mutuat intendens, ac reportans lucrum, etiamsi absque prævia conventionem id faciat. Siquidem utrumque intelligitur de spe, ac intentione lucri ex mutuo immediate, velut ex gratitudine & liberalitate debita; quæ intentio utique mala est, & damnata in præfata propositione. At talis non est intentio Agricolæ in casu nostro, ut rem attente consideranti fit manifestum, ac notat Duarte v. *Usura* n. 545. Hinc si Vitalis det Agricolæ istos aureos, ab ipso taliter intentos, & cum eadem intentione acceptos, utique potest eos tuta conscientia retinere; est enim liberalis datio rei, ut supponitur, facta à Domino potente donare, ac prius intenta à donatario ex gratia & liberalitate donantis. Et per hoc habetur responsio ad 3. alium casum.

### MENS E SEPTEMBRIS.

**CAS. I.** Nereus dubitans de Judicis integritate, dat ei decem aureos, ut juste judicet; & hos illi recipit. Q. an sive dans, sive recipiens peccet?

Respondeo neg. quoad Dantem, si hujus dubium est rationale; affirm. vero quoad recipientem. Ratio pr. part. est, quia supposita rationabilitate dubii, prosequitur dans jus suum; cum naturale sit redimere propriam vexationem, ac se defendere à malo injuste ingruente vel per sententiam injustam, vel per nimiam, & non necessariam prolongationem decisionis causæ, cum dispendio in lite. Rodriguez part. 2. Summ. cap. 42. conclus. 7. Molina de Just. disp. 88. prope principium, & 89. Neque per hoc dans dici potest cooperari peccato Judicis: id enim est sine illius malitia, eamque permittere ad avertendum grave malum aliter imminens, & ad auferendum impedimentum injustæ vexationis. Dixi, si præfatum dubium est rationale, eo quia si esset mera suspicio sine fundamento, tunc certe nefas esset etiam respectu dantis, ut recte advertit Molina loc. cit. Ratio secundæ part. desumitur primo ex Constitutione de datis, & promissis, facta à Gregorio XIII. & confirmata à Clemente VIII. in suo Decreto pro bono regimine, edito anno 1592. ubi sub excommunicationis pœna prohibitum est cuicumque Judici notabile donum accipere à Clientibus pro sola causæ expeditione. Secundo, quia recipiens in casu accipit talem summam pro eo, quod non est venale, & ad quod jam tenetur ex justitia; item accipit id, quod

ip-

ipsi coacte, ac involuntarie datur, & quod ipsi prohibetur à legibus: ergo illicite recipit, adeoque peccat. Neque dicas, leges etiam prohibere, ne ipsi aliquid detur, sicque etiam dantem peccare. Contra enim leges, quatenus prohibent dare, fundantur in præsumptione, quod datio fiat ad subornandum, & corrumpendum Judicem, non autem ad redimendam gravem injustam vexationem, prout facit Nereus in nostro casu. Vide Homobonum resp. 197. in 8. præcep. Decal.

**CAS. II.** Puella, inscio patre, recipit ab Amatore suo notabilem pecuniæ quantitatem, quam pro libito suo occulte partim expendit, partem aliis donat. Q. an hæc accipiendo, & dando, inscio patre peccet.

**CAS. III.** Q. secundo, an Confessarius tam illi, quam iis, quibus donavit, injungere debeat restitutionem.

Respondeo cum dist. Vel dans puellæ notabilem pecuniæ quantitatem habet hujus liberam dispositionem, vel non. Si non, dico, puellam hujus rei consciam peccare sive accipiendo, sive dando; nam semel ac ipsa novit amatorem suum non posse de tali quantitate libere disponere, novit etiam eundem non posse talis pecuniæ dominium in ipsam transferre, sicque nec ipsam licite posse talem pecuniam ab eo accipere, neque aliis licite dare, sive conscio, sive inscio patre suo. Unde in hoc casu Confessarius tam illi, quam iis, quibus donavit, debet utique injungere, restitutionem, si hanc facere possint. Si postea dans puellæ talem pecuniam, liberam habeat ejusdem dispositionem, observandum est, an ipsi eam tribuerit ad modum sponsalitiæ donationis, ut nempe cum ea sibi compararet annulos, vestes, &c. an in preium alicujus actus turpis inter ipsos habiti; an ex puro liberali dono, cum facultate de tali pecunia libere disponendi ad modum bonorum quasi castrensium, an denique intuitu, vel causa Patris: si enim ipsi eam tribuit primo modo, peccavit puella, non quidem pecuniam accipiendo, sed eam non expendendo juxta amatoris intentionem, eamque donando aliis; nam sponsalitiæ donationes non transeunt in dominium donatarii nisi secuto matrimonio; ideoque donavit aliis, quod adhuc suum non erat, sicque etiam in hoc casu, si sponsus condonet, intervenit obligatio restitutionis. Si tribuit secundo modo, probabilius censeo, quod neque peccaverit accipiendo, neque donando aliis, inscio Patre. Non accipiendo, quia licet datio facta fuerit ob rem turpem, non fuit tamen turpis acceptio. Neque donando, inscio Patre: non enim dominium ullum habebat Pater puellæ supra talem pecuniam, quæ vel pleno jure spectabat ad ipsam puellam, vel debebat pauperibus, aut in alium pium usum erogari. Nec obstat quod puella esset sub cura & custodia Patris: id enim probat, per turpem actum Patri illam fuisse injuriam; hæc tamen, si patet, diluitur respective ad Patrem per veniæ petitionem, & respective ad puellam, si non consensit, per assignationem dotis sufficientis ad æque bene nubendum, aut per nuptias. Quare neque in hoc casu intervenit obligatio restitutionis. Idem dico, si pecuniæ quantitas data fuit tertio modo. Si denique data fuit ultimo modo, dico puellam non peccasse eam accipiendo, bene vero eam donando, inscio Patre; in tali etenim casu Pater habebat dominium directum, & utile ejusdem, ac proinde, eo inscio, non poterat in alios transferri do-

mi-

minium ipsius. Propterea Confessarius injungere debet restitutionem iis, quibus puella donavit, & in eorum defectu puellæ, si hæc habeat unde Patri reficere damna.

M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. Comici quidam præstantes à singulis, quoad suas Commœdias admittebant, exigebant julium, nec aliter ulli permittebatur ingressus. Antonius tamen occulte, ac per fraudem sæpius absque solutione ad talem locum sibi aperuit additum, ac fuit spectator. Q. an deliquerit graviter contra justitiam, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo affirmative. Ratio est, quia statim ac Comici à singulis ad stare volentibus exigebant julium, nec aliter ulli permittebatur ingressus, eos inter ac spectatores aderat contractus innominatus utrimque onerosus: *Facio actionem mihi laboriosam, & tibi jucundam, ut des julium*; vel, ut alii dicunt, locatio actionis jucundæ pro pretio juli. Unde sicuti quando artifex dixit: Volo pro opera mea tantum quotidie, qui eum conducit ad operandum, tenetur ex justitia illi dare tantum, si hoc non est excessivum, sed moderatum attento operæ artificio; ita, stante prævio dicto contractu, semel ac Antonius voluit esse spectator actionis Comicæ, aderat in eo obligatio ex justitia solvendi julium qualibet vice, ac proinde si sæpe Commœdiæ interfuit, & Comicos julio fraudavit, dicendum, quod is tandem deliquerit graviter contra justitiam, & per consequens teneatur ad restitutionem; Comici enim regulariter pauperes sunt, ac vivunt ex pretio actionum comicarum, Tabiena v. Histrio, Bonac. de contract. quæst. 3. punct. 3. aliique cum S. Thom. 2. 2. quæst. 168. art. 3. ad 2.º.

CAS. II. Occisus fuit catellus Antonio, qui proinde, ad se compensandum, occisori surripuit quindecim aureos, dicens, quod tanti, & pluris æstimabat catellum suum. Q. an talis surreptio sit contra justitiam?

Respond. neg. Si ex una parte catellus fuit injuste occisus, ex alia, spectatis omnibus circumstantiis, judicio prudentum ac peritorum, revera tanti valebat, nec aderat alia rationabilis via recuperandi suum. Secus vero, si è contra. Ratio utriusque partis clara est, quia scilicet in primo, non in secundo casu nulla remanet inter partes inæqualitas, ac servantur debitæ conditiones pro justa occulta compensatione. Notant tamen Lessius, Navarrus, Molina, aliique passim, quod ad juste taxandum, in casu, catelli valorem debet etiam computari pretium affectionis, proportionatum displicentiæ, quam habuisset Antonius, si tali catello, ejusque oblectamento debuisset privari; siquidem hujusmodi affectus, non fictus, sed verus, quando est rationabilis, est una ex causis augendi pretium rei, ut tradunt DD. prædicti, aliique apud Bonacinam de contr. disp. 3. quæst. 2. punct. 4. Quare si etiam tali pretio computato catellus Antonio tanti, vel forte etiam pluris valebat, dicendum talem surreptionem non esse contra justitiam; bene vero, si è contra. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 3.º.

CAS. III. Pœnitens quandoque exponit peccata sua absque ulla detestatione, ob quamdam incogitantiam naturalem; quandoque ille detestatur, sed abs-

absque formali proposito illa, & alia in posterum evitandi. Q. an quale judicium de hisce Confessionibus efformandum?

Respondeo, Confessiones factas absque ulla detestatione, & dolore, probabiliter esse invalidas, nec juvare ad effectum remissionis peccatorum; factas vero sine proposito formali, sed cum detestatione & supernaturali dolore, probabiliter validas esse, ac fructuosas. Ratio primæ partis est, quia dolor peccatorum est materia proxima, & sic pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ; ideoque, eo deficiente, Sacramentum ipsum deficere necesse est, & Confessiones esse invalidas, ac sine remissione peccatorum. Hinc Tridentinum sess. 14. c. 4. ait: *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*. Ratio sec. part. est, quia ad valorem ejusdem Sacramenti, & ad effectum remissionis peccatorum, non requiritur essentialiter formale propositum, sicuti formalis dolor; nam illud non est materia proxima Sacramenti, quemadmodum hic; sed sufficit propositum implicitum & virtuale, inclusum in formali dolore, qui enim ex corde detestatur peccata, & de eis dolet, implicite dicit, se nolle amplius peccare; nam non vult amplius facere quod sibi displicet. Ergo cum in hoc casu Confessiones factæ fuerint cum vera detestatione, & dolore formali, dicendum, quod validæ sint, ac fructuosæ. Viva de Pœnit. disp. 4. quæst. 2. art. 5. aliique.

M E N S E N O V E M B R I S.

CAS. I. Sergius ex ira in Clericum, ipsum percussit, sed occulte. Q. an majorem excommunicationem contraxerit?

Respond. affirm. Siquidem Sacri Canones animadvertentes pœna majoris excommunicationis ipso facto in percussorem Clerici, nullam distinctionem faciunt inter percussorem publicum, & occultum, quoad ejus incursionem, sed absolute, ac generaliter loquuntur. Propterea cum lex generaliter loquens generaliter sit intelligenda, dicendum, quod Sergius, etsi occulte Clericum percusserit, est majori excommunicatione irruitus. Hinc licet non excommunicati juxta Consuet. *Ad evitanda*, possint ante denuntiationem ipsum non vitare; ipse tamen, etsi non denuntiatus, tenetur secluso scandalo, & infamia, vitare alios; nec potest Divinis interesse; uno verbo tenetur se gerere eodem modo, quo ante talem Constitutionem tenebantur similes excommunicati, cum per hanc nullus favor sit excommunicatis concessus, prout inter alios notat Suarez de Cens. disp. 9. sect. 2. num. 15. Dixi, *secluso scandalo, & infamia*; eo quia si occulte excommunicatus nequeat alia via gravem infamiam, & scandalum vitare, nisi prædicta faciendo, potest iuxta conscientiam ea facere, immo, præmissa Contritione, ac Confessione celebrare, si sit Sacerdos, aut communicare; nam præceptum de vitando scandalo, & jus vitandi propriam infamiam, gravius urgent. Sayrus de Cens. lib. 2. cap. 3. num. 6.º.

CAS. II. Ægrotavit per aliquod tempus famulus Andrææ, qui propterea illi negat salarium tempori ægrotudinis correspondens, eo quia pro illo tunc alium conduxit. Q. an Andræas quoad hoc juste se gerat?

Respondeo seclusa conventionem in contrarium. Andræam juste se gerere de-